

## CAPUT X.

**U**RATIO absolvitur auxiliis ex fonte triplici haustis: quorum primus est *Chirurgicus*, secundus *Pharmaceuticus*, tertius *Diateticus*. Chirurgia subministrat sectiones venarum, cucurbitulas cum & sine scarificatione, arteriotomiam, frictiones, ligaturas, vesicatoria, bronchotomiam, seu perforationē asperæ arteriæ.

§. 1. Devolvitur nunc ordo ad præfidiorum indagacionem, hostisq̄ue debellationem, arma suppeditantibus *Chirurgiâ*, *Pharmaciâ* & *Dieta*. Primum locum assignamus **CHIRURGIAE**, quæ varias confert operas, quarum primaria & præcipua *venesectio*, quæ necessarium, præsentaneum, & compendiarium in hâc affectione salutatur remedium. Hæc itaque præ aliis expetitur, cum adsit inflammatio, & ejus quidem partis, à quâ præsens suffocationis periculum imminet. Quapropter statim & absque morâ, si absint, quæ prohibere queant, ad hanc recurrendum, ut sanguini humoribusq̄ue ulterior ad fauces affluxus præcludatur.

§. 2. Enormiter inde hallucinantur ii, qui sine exceptione purgans aliquod præmittunt: ejusmodi enim acuti & periculosi affectus repentinam sanguinis efflagitant detractionem: cunctari namque in his, malum, &, ut cum *Fernelio* (t) loquar, imminentis periculi eventus magis reformidandus, quàm noxa ex non præparato corpore contracta. (t) lib. 3. m. m. cap. 1. 4.

§. 3. Certis igitur de venæ incisione, porrò inquirendum, *quanam venarum sit tundenda?* Autores hic habemus dissentientes. Nos existimamus, si corporis decumbentis constitutio sit plethorica, venam mediam sive communem primo loco esse secandam, deinceps verò, si necessitas urgeat, etiam cephalicam: hoc enim modo primâ incisione corporis ple-